



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

IV. De simonia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

III.

ANNO
CHRISTI
1347.

Sane de quæstoribus eleemosynarum, quorum quidam mentiendo alios seducunt, & eleemosynas fallace ingenio extorquent, statuimus hoc edicto, quod episcopi suffraganei nostri, vel sede vacante, vicarii per capitulum deputati nullum quæstorem de extra episcopatum suum, nisi literas apostolicas aut nostras exhibuerit, quomodolibet admittant: mandâtes quod cum quæstores pro fabrica suarum cathedralium ecclesiarum, vel pro aliis piis operibus suorum episcopatum receperunt, constitutionem felicis recordationis domini Clementis papæ V. quæ incipit, *Abusionibus*, in Concilio Vienne[n]si contra quæstores huiusmodi editam, in omnibus faciant inuiolabiliter obseruari. Contrarium vero facientes duorum millium marabetinorum vsualis monetæ pœnam incurrant: quorum tertiam partem fabricæ ecclesiæ cathedralis, aliam denuntiatori, reliquam vero partem redemptioni captiuorum applicamus.

IV.

Verum quia plerumque in exactione emolumentum figilli nonnulli metas rationis excedunt, & tam pro licentia quo ad studia literarum, seu qua animarum cura ad tempus committitur, quam pro litera dimissoria, qua cuique se ad alias partes transferendi licentia conceditur, quantitates indebitæ extorquentur: Nos eorum insatiabilem voraginem compescere cupientes, statuimus eodem Concilio approbante, vt pro qualibet prædictarum literarum possint sex marabetini & duo denarii pro

ANNO
 CHRISTI
 1347.

cancellaria, & vnus marabetinus pro regeſto, & non amplius recipi vlllo modo. Qui vero contrarium fecerit, mille marabetinorum pœnam incurrat, diuidendam & ampliandam, vt ſuperius eſt præmiſſum.

Datum apud Alcalam Toletanæ diœceſis, die vigefima quarta menſis Aprilis, qua die dictum Concilium extitit terminatum, ſub anno Domini milleſimo trecentefimo quadrageſimo ſeptimo, ſub ſigilli noſtri impreſſione in teſtimonium præmiſſorum, præſentibus venerabilibus in Chriſto fratribus noſtris Blaſio Dei gratia Palentinenſi, & Garſia Conchenſi, & Ioanne Giennenſi, epiſcopis ſuffraganeis noſtris, & capituli Toletani & aliorum ſuffraganeorum noſtrorum & capitulorum ipſorum procuratoribus, qui præmiſſis omnibus & ſingulis ſuum præſtiterunt conſilium pariter & aſſenſum.



ANNO
 CHRISTI
 1352.

V I T A
 INNOCENTII PAPÆ VI.

INNOCENTIVS VI. ait Trithemius, natione Lemouiceniſis, vir bonus & amator religioſorum, & canonista maximus, qui Carolum imperatorem poſtea coronauit, ſucceſſit Clementi decimoſexto Kalendas Decembris anni 1352. tempore Caroli IV. imperatoris, Stephanus antea vocatus, ex epiſcopo Claromontano & cardinali pontificatum adeptus, multas reformationes per prædeceſſores ſuos illatas abrogauit. Prælatiſ & beneficiatiſ, vt in ſuis locis reſiderent, iniunxit: impenſas aulae ſuæ familiamque imminuit. Domi ſuæ non alios viros quam peritiſſimos alere voluit, idemque cardinalibus vt facerent præcepit. Palatii auditoribus ſtipendia conſtituit, ne ſe præmiis corrumpi paterentur. In Italiam miſit Ægidium Hiſpanum cardinalem, qui rebus Italicis ſua præſentia magnum adiumentum attulit. Interea temporis quo Franciſcus Barocellus ſenatoriam dignitatem Romæ ſibi uſurpauerat, pontifex Nicolaum Rentii e carceribus educatum libertate donauit, vt altero alteri oppoſito, inter ſe